

PLAVTINORVM  
CVPEDIORVM FERCVLVM  
SEXTVM.

---

A D

ORATIVNCVLAS  
DVORVM ADOLESCENTVM  
SCHOLAE THOMANAE  
VALE DICENTIVM

DIE XIII. APRILIS A. CHR. C<sup>1</sup>CCCCXV.



HORA IX. MATVTINA

A V D I E N D A S

MODESTE INVITAT

FRIDER. GVILIELM. EHRENFR. ROSTIVS  
RECTOR.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA KLAUBARTHIANA.

1815.

LEIP  
11 (1815)

16



ASINARIA I. 1, 69. 70.

Li. *Demiror quid sit, et quo evadat, sum in metu.*

De. *Equidem scio iam, filius quod amet meus.*

Hi versus male interrumpunt orationis cursum, qui facilis est et rei accommodatissimus, si ad id, quod senex dixerat: *cupio esse amicae quod det argentum suae, servus statim subiungit: cupis id, quod cupere te nequicquam intellico.* Nam non minus ineptum est, servum, voluntate senis satis declarata, adhuc demirari, quid sit, et quo res evadat metuere, quam illud quod pater dicit, *scire se iam h. e. nunc, amare filium*, quod iisdem verbis versu 37 dixerat, et longiori narratione persecutus fuerat. Quapropter censeo, versum 69 ponendum esse post v. 36, cuius exitus: *quid istuc novi est?* optime cohaeret cum his: *demiror quid sit* etc. Tum ibidem loci recte sequitur: *Equidem scio iam* etc. Sed quo fato idem versus cum praecedente posterius textis insertus fuerit, id scio iuxta cum ignarissimis. Praeterea vero sive negligenter, sive obsoleto dicendi more a quibusdam auctoribus factum sit, verum tamen est, Latinos nonnunquam pro accusativo cum infinitivo post verbum *scio* et similia posuisse *quod*; neque vel Sanctii (Minerva I. p. 713 et seq. ed. Bauer.), vel Gronovii correctionem prius

probandum videri, quam eorum sectatores ostenderint, quid faciendum sit illo Plauti verso, Poenul. III. 1, 44.

Scitis rem; narravi vobis, quod vestra opera opus fiet.

ASIN. I. 3, 47.

*Caetera quaeque volumus vti, Graeca mercamur fide.*

Quid graeca fide mercari significet loci huius interpres bene intelligunt, in ratione autem explicandae sententiae errare nobis videntur. Et si enim verissimum est, graeca fide mercari hic idem valere, quod repraesentata pecunia mercari; tamen non appareat, quomodo eiusmodi mercatura optima fide fiat, quam quidem graecam dici Turnebus, Gronovius, eorumque adsensores statuunt. Quod enim ille de palliata comoedia dicit, in qua Graecos bene de sua gente et existimare et praedicare conveniat, id vereor, ut magni momenti sit; quandoquidem constat, Plautum in suis fabulis ita saepe variare, ut de Graecis moribus et institutis ex Romani vulgus opinionibus loquatur. Gronovii autem acumen desideramus cum in eo, quod nuspian certiorem fidem esse contendit, quam ubi statim res pro re reddatur; tum vero etiam in citando loco Vellejano, in quo non de fide mercatoria, sed de fide reipublicae constantiaque foederum agi, sagacissimum virum fugere non debebat; et si vel maximie Velleji verbis illis: *in omni re, movebatur, oportebat eum tamen meminisse, sermonem ibi esse de re*

multo senioris aetatis, agique de solis Atheniensibus, quorum similia omnium Graecorum fuisse ingenia et erga Romanos voluntatem, nemo rerum peritus facile statuerit. Imo vero constat ex historia, Romanos inter atque Graecos antiquitus iam variis de causis multa intercessisse dissidia et similitates, quae mutuam utriusque gentis fidem minuerent, facerentque ut altera de altera male opinaretur. Quam fidem cum Graeci ne inter se quidem satis fervarent (*πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν γέδειν.* Euripid. Iphig. in Taur. 1205), quid mirum, si Romani graecam fidem in vitium et opprobrium verterent, eamque non meliorem, quam Punicam esse censerent? (Ausonii enim, ut longe senioris poetae sententiae non accedendum puto. ep. 10.) Poterat autem Graecorum fides duplici modo reprehendenda videri, vel quod datam fallerent, vel nullam omnino haberent. Prior ratio in nostrum locum non cadit. Nam qui homines *mercendant,* *si aēs habent,* ii non id agunt, ut fidem mutent, sed vitant potius fidei habendae necessitatem. Atque hoc ipsum est, quod Cleaereta de se significat, credere se nihil, nisi quod videat, imitarique pistores, qui non nisi soluta pecunia panem dent, et graeca i. e. nulla fide vendant. In eo autem sita est omnis horum verborum facetia, quod poeta fidem appellat, quae nulla est, et stupido tantum atque ignaro rerum homini aliqua videri potest, similiter atque Calendae illae Graecae, quas omnes, credo, novimus.

*Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat,  
Hoc ne sic faciat: tu labellum abstergeas  
Potius, quam cuiquam savium faciat palam.*

Hunc locum Schellerus, omnium aliorum, quam Plauti, felicior interpres, perperam explicuit, qui *alicui savium facere*, idem quod *dare significare* vellet. Nam ut amica Diableti palam daret alieno amatori savium, certe non opus erat gravedinis simulatione. Neque vero etiam hoc congruit cum istius syngraphi, a parasito conscripti, consilio; quo quidem non id cavebatur, ne Philenium fidem amico datam aperte falleret, sed ne clandestinis adeo illecebris apud alios sui amoris desiderium excitaret. Huc spectant singulae pacti, cum puella faciendi, leges, atque igitur etiam illa: *forte si tuffire occoepit, ne sic tuffiat, ut cuiquam linguam in tuffendo proferat.* Verendum enim erat, ne lingua proferenda alicuius praesentium libidinem accenderet. Igitur os puellae semper clausum esse vult parasitus; quod ne gravedinis praetextu tamen aperiatur, hoc addit consilium: *tu labellum abstergeas potius etc.* Vnde apparet, *facere palam*, vnam efficere notionem et significare *aperire*. Itaque non vult aperiri puellae os atque proferri linguam abstergendae gravedinis praetextu, re ipsa vero ideo, ut alias quisquam ad osculandum excitetur. Nihili igitur est opinio Douzae, qui *savium* hic idem quod *fati* *vam* significare autumavit.

## CISTELLARIA I. 1, 64—69.

Gym. *Indidem, vnde oritur, facito vt facias stultitiam  
sepelibilem.*

Si. *Quid faciam?* Gym. *in latebras abscondas pectore  
penitissimo.*

*Tuam stultitiam sola facito vt scias sine aliis arbitris.*

Si. *at mihi*

*Cordolium est.* Gym. *quid id? vnde est tibi cordolium,  
commemora, obsecro?*

*Quod neque ego habeo, neque quisquam alia mulier, vt  
perhibent viri.*

Si. *Si quid est quod doleat, dolet: si autem non est, ta-  
men hoc hic dolet.*

Per saepe mihi accedit, vt quam in nostro poeta emen-  
dationem de mea coniectura facere aggrediar, eam post-  
modo ab Acidalio occupatam inveniam. In qua quidem  
inopinata cum viro acerrimi ingenii consensione verae lectio-  
nis aliquam significationem reperire mihi non temere videor.  
Itaque me consentiente Acidalius pro *indidem* legendum  
censet *ibidem*, quippe quod sententia loci magis confirme-  
tur; illud vero monere oblitus est, vulgaris lectionis voca-  
bulum *indidem* extra numerum moveri, qui in hac prima  
fede amphimacrum omnino respuit, nostram autem vocem,  
quae a Plauto in media syllaba corripitur (Perf. 4. 4, 62,  
Stich. 3. 1, 12.) libenter recipit. Multo autem maioris mo-  
menti rem, sequentium versuum expurgationem, quorum

sententia aequa atque mensura confusa est, ab acutissimo arbitro neglectam fuisse, satis mirari nequeo. Primo enim in nomine *cordolum* magnopere haeremus. Etsi enim poetae nostro, ut audacissimo, ita felicissimo verborum architecto, novorum vocabulorum inventionem lubens concedam, neque vim et significationem istius vocabuli, in Poenulo quoque usurpati, Act. I. 2, 86. non intelligam; tamen ex hoc loco illud, tanquam ex aliena possessione, multis de causis expellendum esse censeo. Male enim Gymnasium, quod ipsa non habeat, id sororem habere non posse, argumentaretur; tum de mulierum cordolio viros dubitasse nusquam legimus, ipsum vero cor, h. e. sapientiam, inesse feminis utique negarunt. (Miles Glor. III. 1, 191.) Denique si cordolum retinere malueris, obscura manebit versus 69 sententia. Ipsum enim cordolum non dolet, sed cor, quod dolore afficitur. Quare ex animo probamus operam Bothii huic loco hactenus feliciter navatam, quod non solum cordolum e textu sustulit, sed antecedentem quoque versum ita sanitati restituit, ut extremum eius pedem sequentis versus initium faceret, hoc modo:

S. At mihi cor est. G. qui id? vnde est tibi cor, commemora, obsecro.

Modo reliquisset vestigium eius vocabuli, quod pervulgatae lectioni occasionem dedisse arbitror. Censeo enim Plautum ita scripsisse:

S. At mihi cor dolet. G. quid id? vnde est tibi cor? commemora obsecro.

Ex

Ex ipsis igitur verbis *cor dolet* elucet, qui natum sit *cordotum*; maxime si cogitamus, diligentem Plauti lectorem margini adscriptisse similem illum locum e Poenulo. Postremo inutilis mihi videtur Acidalii correctio, qui pro *si quid est*, scribi iubet, *si quod est sc. cor.* Inde enim oritur nescio quis languor et circuitus orationis. Communis autem scriptura: *Si quid est, quod doleat, dolet.* hunc sensum habet: si quid in me tale est, quod cor dicitur, dolet illud. Ultima autem verba: *tamen hoc hic dolet*, gestu adiuvanda sunt.

---

CIST. I. 1, 106. 107.

*Nunc te amabo, vt hanc hoc triduum solum finas  
Effe hic, et servare apud me.*

Saepiuscule accedit librariorum festinatione aut incognititia, vt in describendis auctorum libris vocabula omitterent, quae propter magnam cum proximis similitudinem legentium oculos fallerent. Eam iacturam subolere et probabili conjectura sarcire in pedestri oratione difficilius est, quam in ligato sermone, cuius definita numerorum dimensione attentum criticum saepe manu quasi ad inveniendum id, quod perierat, perducit. Tale *εγμαίον* mihi in hoc versu contigisse laetor. Is enim, vt vulgo scribitur, totius pedis defectu laborat. Quod si vero post vocabulum *solum* interponas *solan*, non modo numeros bene constare videbis, sed orationem quoque Plauti ingenio, agnominationum studiosissimo, accommodatissimam reperies.

*Itaque me Iuno regina et Iovis supremi filia,*

*Itaque me Saturnus patruus eius. Me. ecastor pater.*

Al. *Itaque me Ops opulenta illius avia. Me. imo mater quidem,*

Al. *Iuno filia et Saturnus patruus, et summus Jupiter.*

In fontibus ridiculi, in quibus comicorum poetarum ars suum quasi habet domicilium, numerari etiam ignorantiae simulationem, neminem harum rerum peritum fugit. Movetur autem animus istiusmodi errorum fictione eo acrius, si id, in quo peccatur, tale est, ut vel infimorum hominum et iudicii et scientiae mediocritatem non excedere posse videatur. Cuius quidem generis cum essent olim deorum genealogiae, quarum discendarum vulgo esset multiplex opportunitas, merito deridendus spectatoribus a poeta propinatur hoc in loco Alcesimarchus, liberaliter educatus adolescentis, sed tam profundae rerum vulgo notissimarum ignorantis, ut a muliere lena edoceri posset. Quod poetae consilium, quo minus huius loci interpretibus latuit, eo magis mirandum est, non extirpasse eos vitium, librarii cuiusdam stupore in texta introductum. Ferri enim nequam potest, Alcesimarchum, iam correctum et sui sibi erroris conscientum, denuo in eadem re offendere. Quare non ridiculum, sed odiosum est, Saturnum ab adolescente iterum *patruum* dici. Id, quod poetam fieri noluisse ipsa numerorum perturbatio ostendit, quae tum demum tollitur, si

pro vocabulo *patruus* reponas *pater*. Quo facto, et metri ratio salva et muliebris disciplina in animo adolescentis haud quaquam irrita invenitur.

## STICHS I. 2, 32—35.

Pa. *Is est ecclstor. Ferre aduersum hominem occupemus osculum.*

Pi. *Salve, mi pater. An. et vos ambae. Illico agite, abscedite.*

Pi. *Osculum. An. Sat est osculi mihii vestri. Pi. qui, amabo, pater?*

An. *Quia ita meae animae falsura evenit. Pi. affide hic, pater.*

Etsi interpretes multum salis in condendo hoc loco consumserunt, vereor tamen, ut cuiusquam viri, cui cor sapiat, palatum excitaverint. Douza enim et qui eum sequuntur, translationem ad animum esse dicunt a palato, quod nimio sale offendatur. Sed in eo allucinantur mirifice. Nam ut ea, quam volunt, metaphora hic locum haberet, oporteret patrem *nimiam* falsuram dixisse; qua quidem ille non offenditur, sed nimiis osculis, quorum sibi satis esse ideo profitetur, quia *ita* falsura eveniat. Causa igitur molestiae, qua pater afficitur, in nimiis osculis quaerenda est, non in falsura, quae osculorum effectum indicaret. Vnde manifestum fit, non constare eam, quam Douza singit, metaphoram, sed dicendam potius fuisse metalepsin, quae ita

oriretur, si dices, falsuram μετωνυμικῶς pro sale, salem autem μεταφορικῶς pro acerba re ponit; cui tamen significatio dicendi usus et rei natura repugnat. Sale enim adeo non offenditur palatum, ut eo potius fuscitur, similiter atque verborum salibus orationis sapor animique ingenium acuitur. Id quod probe intelligens Lambinus indicare patrem hoc existimavit, animam suam propter aetatem esse insulfam, et insuavem, et paene foetidam, osculis vero pueriarum falsam et suavem reddi. Cui tamen sententiae nullum hic locum esse tota verborum comprehensio docet. Sive enim animam intelligas oris halitum, sive vitam putes, sive pro mente et animo accipias: non apparat, cur pater filiarum osculis gravetur, si ad animam aut corrigendam, aut conservandam, aut sapidiorem reddendam fecerint. Itaque diu nos et ad nauseam usque de hoc loco solliciti, forte fortuna in veram sententiam incidimus, quae statim in oculos incurrit, si scriperis:

*Quia ita, meae animae, salfura evenit.*

Romanorum enim consuetudo ferebat, ut homines sibi eximie caros *mi anime*, *mea anima*, compellarent. Censemus igitur, *meae animae* hic eodem modo usurpari, quo apud Ciceronem ad Divers. XIV. 14 et 18., neque irasci patrem, aut succensere suis filiabus aperte, sed, ut leniter eas et perplexe tentet, prae se ferre amorem et benevolentiam. Quare posteaquam blande eum filiae allocutae et exoscultatae erant, modum iam oscularum faciendum esse dicit,

et Pinarium, id aegre ferentem, blanda et faceta simul oratione exhilarat. Nempe finiendorum osculorum hanc causam affert: quia ita h. e. dissuaviando, falsura evenit. Comparat ergo nimiam istam osculationem cum falsamentariorum opera, satis apte et facete; quandoquidem homines, quos diu et ex animo osculamus, amplexando, premendo, (compressiones arctae amantum comparum. Pseud. I. 1, 64.) versando et macerando ita paene tractamus, ut carnes, quas falsamenta fieri oportet. Verto igitur tres postremos versus ita:

*Pi.* Grüfs' dich, Vater. *An.* Gleichfalls Beyde. (sie hören nicht auf zu küsſen)

Macht fogleich und höret auf.

*Pi.* Noch ein Küſſchen. *An.* Hab' zur Gnüge. *Pi.* Warum denn, mein Väterchen?

*An.* Weil ihr, lieben Seelen, mich ja pöckelt. *Pi.* Setz' dich, Väterchen.

---

STICH. I. 3, 72—77.

*Nullis meliores esse parásitos finam.*  
*Vel unctioñes Graecas, sudatorias,*  
*Vel alias malacas crapularias,*  
*Cavillationes, affentiunculas,*  
*Ac periuratiunculas parasíticas,*  
*Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam.*

Acutissime, ut multa alia, vedit Acidalius, confusam esse huius loci orationem, quod logos ridiculous v. 68 ve-

nundatos excipient iam graecae unctiones, post has cavillationes, assentatiunculae et periuratiunculae commemoremntur, quas rursus sequantur balnearia instrumenta; denique et hoc ineptum esse, in auctione adhiberi unctiones. Itaque de meliori sententiarum ordine cogitans ille quidem hanc versuum seriem instituit: 75. 76. 77. 73. 74. vnde duo siant auctionis capita, alterum parasiticarum facetiarum, alterum supellectilis balneatoriae, non ipsarum vero unctionum et lavationum. Qua quidem verborum serie et si singula invicem a se pendeant; nos tamen ideo acquiescere non possumus, quoniam eiusmodi arbitrariam versuum transpositionem et audacem constituendae sententiae rationem, non nisi in desperatissima lectione adhibendam esse censemus. Tentavimus igitur aliam viam, qua, servato versuum ordine, veram poetae orationem restitui posse putaremus. Petrus enim Valla pro *vunctiones* legit *cantiones*; quod vocabulum vide quam bene ceteris conveniat! Ita enim efficitur, ut quos ante venditasset parasitus logos ridiculos, eorum iam formas atque partes exponat: cantiones, cavillationes, assentatiunculas, periuratiunculas. Mutando autem isti vocabulo *cantiones* in *vunctiones* ansam praebere potuit non solum strigilis et ampulla, postmodo commemorata, sed, quod multo verisimilius est, adiectum illud *fudatorias*, quo potuerunt alicui in mentem vocari *balnea fudatoria*, instrumentis illis utique aptissima. Quod qui retinuerunt, ii facile sibi de *vunctionibus* crapulariis persuaderi passi sunt, quarum tamen a quoquam auctore fieri aliquam mentionem

hactenus non invenimus, quasque tum intelligemus, cum cognoverimus. Cantiones autem sudatorias non eas intellegimus, quae nimia vocis et pulmonum contentione et haud interrupto cantus tenore sudorem exutiunt, quippe quibus parasitorum commendationem auriumque oblectationem inesse vehementer dubitamus; sed eas, quibus parasiti regum suorum aures in balneis sudatoriis titillabant, quo in loco a balnearioribus, quorum munus parasiti saepius obibant, (Hesych. τείβαλλοι, συκοφάνται· οἱ δὲ τὰς θωπευτικῶς ἐν τοῖς βαλανεοῖς διατείβοντας, καὶ ἐπὶ τὰ δειπνα ἔσυροὺς καλεύντας.) lavantes carminibus fuisse exhilaratos, ex Athenaeo l. XIV. p. 619. A. et ex Theophrasto char. IV. discitur. Quorum quidem carminum argumenta nugatoria fuisse atque iocularia, res ipsa monere videtur. Ab his distinguit poeta *ampullarias* (quam veram esse lectionem libri scripti et impressi veteres docent, cuius interpretamentum putamus illud *crapularias*) h. e. inter vinum ad ampullam cantari solitas; quam praecipuam fuisse olim convivalis laetitiae partem, vel tironibus constare arbitror. Hae vero *magis malaceae* (latet enim *magis* in corrupta illa vetere lectione *malis*, estque metri gratia utique interponendum) appellantur, quam illae sudatoriae, hoc est ad voluptatem vel declarandam vel excitandam magis idoneae, ideo quod non severi gaudii, sed lasciviae, petulantiae, libidinis, omniumque omnino nequitiarum erant plenissimae. Haec sunt illa Graecorum ἄσματα παρέντα et κωμοί, quibus vinum, amor et omnis generis voluptates, atque adeo compotato-

rum et comissorum amicæ quoque, saepe præfentes illæ, laudibus celebrabantur. Talium autem cantionum peritum, si quem alium, parasitum maxime esse oportuit; cuius farrinae homines non alia conditione ad coenam vocabantur, quam ut epularum voluptatem augerent, et multigeneres facerent delicias, in quibus non postremæ erant amatoriaæ cantiones. Hoc igitur nomine noster Gelasimus de meliori se commendat, nec artem solum in balneis et ad scyphos cantandi iactat, sed illas quoque, aequæ gratas et acceptas, cavillandi, assentandi et suo loco atque tempore, in gratiam puto patroni, peierandi. Quod vero eam, quam dedimus, loci illius interpretationem, probabiliorem reddit, hoc est, quod extrema fabulae pars versatur in repræsentanda compotatione, vbi graeca cantio disertis verbis commemoratur (Act. V. Sc. 4. v. 25.); vnde verosimile fit, poetam inventi argumenti eiusque dispositionis memorem, alio quoque in loco in eius rei mentionem incidisse, cuius cogitatione animus ipsius tum maxime occupatus erat.

Reliquum est, ut quaeratur, cur Graecas cantiones parasitus appellat, quas quidem in palliata fabula, qua graeci mores, graecique homines inducuntur, quisque spectator non admonitus exspectat? Nisi igitur poetam aut supinae incogitantiae, aut summae levitatis accusare volumus, oportebit nos investigare causam, qua permotus ille graecas istas cantiones expressis verbis nuncupaverit. Eius rei causam ex eodem manare fonte existimo, vnde insignis illa Plauti Romana cum Graecis miscendi consuetudo profecta videtur.

Obser-

Observavimus enim istam poetae inconstantiam ibi maxime habere locum, vbi alterius populi mores atque instituta irridere animum inducit. Tum vero Romana appellat barbara, Graeca autem ea dicit, quae Romano homini in Graecorum moribus displicebant. Iam vero quis ignorat, Romanos illos veteres, belli et armorum studiosissimos, sanctamque potius atque tristem, quam liberalem et amoenam vitae disciplinam sectantes, peregrinas illas artes, quas Graeci animi solum et ingenii causa exercebant, inutiles, otiosas atque adeo noxias duxisse, iisque aditum ad rem publicam maximo opere interclusisse? Quo quidem contemptu poesis quoque diu affecta est, (Cic. Tusc. Qu. 1. 2.) potissimum ludicra illa et iocularis, qua Graeci in conviviis suis nulli carere poterant, (v. Ilgen. Carmina Conv. Graec. p. 48. 62 etc.) Romani vero priscae illius severitatis nunquam vtebantur. (Quid enim serius factum sit, vel e Gicerone pro Rosc. Amer. §. 134. cognosces.) Nam quod Cicero e Catonis Originibus refert, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem, id non sine probro fieri potuisse ipsius Catonis testimonio confirmatur. Quod etsi non presserim; tamen ex iis, quae Cato subiungit: *de clarorum hominum virtutibus*, dilucide appetet, convivales istos Romanorum cantus severioris fuisse argumenti, neque vero delicatos illos, molles, ioculares atque amatorios, quos Plautus nostro in loco notatus significanter et disertim graecos appellat. Quod vero ad reliquam huius loci ver-

XVIII

borum scripturam attinet, non opus est, ut cum Guilielmo antiqua lectio *nullus* mutetur in *nullis*, et cum Acidalio post duplex illud *vel* insertum velis *ad*; qua praepositione supersedere possumus, sive regantur illi accusativi a verbo *vendo*, sive ab adiectivo *meliores*, quod valet idem ac graecum illud *ἄγαθές τι* h. e. peritus alicuius rei, aptus et idoneus ad aliquid. Denique ad versum 77. respexit Festus in fragmento de Verb. Sign. p. 162. ed. Gothofr. vbi haec leguntur: *Scorteae ampullae vetustate rugosae, et coloris eiusdem, rubidae dici solent.* Quae tamen verba, ut sonant, nullum sensum habent, si vero pro *rugosae* posueris *ruginosae*, apparebit, quid sibi illud velit additamentum: *et coloris eiusdem.*

STICH. II. 1, 50.

*Quas tu vides colubras?*

Interpretes, quotquot adire vacavit, his verbis insaniam parasito exprobrari dicunt propterea, quod insanorum sit videre, ut cum Virgilio loquar, implexas crinibus angues Eumenides. Quam rem etiā inter visa furiosorum referri posse nullus dubitaverim; tamen huius metonymiae exemplum adhuc desidero. Sed si vel maxime largiar, insaniam hominum ita significari posse, nulla tamen hoc loco causa est, cur servus parasitum insaniae insimulet. Nam seire velle, quid in sportula aliquis gestitet, id curiosi ho-

minis esse, nullo modo insani dicas. Proclive autem dictum est, quid interpretes in errorem induxerit; videlicet signum illud interrogandi, quo sublato omnis de sententia loci dubitatio evanescit. Importunus enim parasitus, qui, tanquam ille garrulus Horatianus, (Satyr. I. 9.) intempestivis suis quaestiunculis servum odio enecabat, quum caput ad sportulam adeo inclinasset, ut quid inesset, videret, bilem Diancio ita movet, ut is sportulam ei impingat et in clamet: *quas tu vides colubras.* (Quibus in verbis ineſt nota enallage casuum, pro *colubrae*, *quas tu vides*.) Ita enim solemnus male curiosos abigere, ut duris verbis utamur, et rem, quam illi resciscere cupiunt, ingrato aut terribili nomine appellemus.

Verto igitur hunc locum, qui egregium est exemplum Tusci iurgii, (de quo vide parentis mei b. m. programma. Budissae 1765.) ita:

Will gehn und ihn anreden.  
 Ich grüſſe dich. *Di.* Ich gleichfalls.  
*Gel.* Bift du ein Fischer worden?  
*Di.* Seit wann haſt du gehungert?  
*Gel.* Woher? Was da? was eilſt du?  
*Di.* Was dich nichts angeht, laſſe  
 Nur gehn. *Gel.* Was iſt da drinnen?  
*Di.* Da kannſt du's ſehen. Schlangen!  
*Gel.* Warum fo zornig? *Di.* Wenn da  
 Dich ſchämteſt, blieb' ich ruhig.  
*Gel.* Kann ich die Wahrheit wiſſen?  
*Di.* Ja, heute wirſt du fasten.

Post meditationem meam super hoc loco inveni, ex Aldina editione abesse signum interrogandi, quo magis verum me vidisse existimo.

## STICH. III. 2, 41.

*Perii hercle vero plane, nihil obnoxie.*

Haec verba Gellius VII. 17. paulo aliter, e memoria puto, citavit:

Perii ego hercle vero plane, non obnoxie.

Nempe existimasse videtur, *nihil* valere hic idem, quod *non*. Quo quidem errore in aliud inductus est, longe graviorem, ut Plautum duo ista, *plane* et *obnoxie*, tanquam inter se contraria, composuisse censeret. Hanc vero grammatici auctoritatem secuti Salmasius et Acidalius, quid *obnoxie perire* significet, sedulo exponere studuerunt, sed ita, ut nemini de suae sententiae veritate persuaderent. Recte igitur Gronovio, illud *obnoxie* cum verbo *perire* non coniungi debere, visum est, quamquam eius voluntatem ob atramentum saepiae more sparsum dispicere nulli potuimus. Videntur autem nobis viri illi doctissimi nodum in scirpo quaesivisse, et, quod viris nimiae eruditionis oneri succumbentibus haud raro accidit, in plano corruiisse. In facili enim est invenire veram horum verborum sententiam. Nam cum parasitus omne obsequium, quod reduci hero paratum esse dixerat, ab illo negligi, suamque coenae adventiciae spem

vario praetextu elusam esse vidisset, p[re]a dolore exclamat:  
*perii hercle vero plane*, eiusque rei causam hanc subiicit,  
*quod nihil obnoxie sc. ille fecit*, h. e. nihil dixit aut bene  
 promisit, quo se mihi vt antea devinctum et obligatum  
 ostenderet; sed talem se praebuit, qui antiquam illam ami-  
 citiam solutam vellet. Ergo sic verterim:

Zu Grunde geh' ich völlig: — nichts verbündliches (sc. sprach er).

**A**c simili plane ratione videtur mihi in alio loco, (Epidic.  
 V. 2, 30.) cum hoc comparari solito, abruptae locutionis  
 supplementum faciendum esse. Nam quae Epidicus ibi di-  
 cit: *nihil vero obnoxiose*, ea hoc sibi volunt, nihil *fac* in  
 me colligando ita, vt me tibi aliquo beneficio devincire  
 voluisse videaris. Quo quidem iussu id effectum cupit, vt  
 actius constringatur. Quare haec ita verto:

*Pe.* Nun so gieb die Hände her. *Ep.* Sie zögern nicht; doch  
 binde fest.

Ih, so thu's doch ohne Schonung. *Pe.* Urtheilt nach vollbrach-  
 ter That.

*Ep.* Das ist gut.

Sed clausulam commentatio postulat. Accipe  
igitur, benevole lector, corollarii loco eorum ad-  
olescentum notitiam, quos, salutaribus magistrorum  
ludi nostri praceptoris institutos, praeterlapsi anno  
scholastico in aliena castra, non tanquam transfugas,  
aut exploratores, sed in strenui exercitus supplemen-  
tum dimisimus, ut suorum profectuum experimenta  
caperent, et maximorum virorum, Academiam no-  
stram luce sua illustrantium, ingenia non degustarent  
solum, sed tota penitus inspicerent, seque ad eorum  
imitationem, pro suis quisque viribus, studiose com-  
ponerent. Eorum nomina haec sunt:

FRIDERICVS VOIGT,  
Sachsenburgensis.

CAROLVS GODOFREDVS GÖNTHER,  
Lipsiensis.

IOHANNES FERDINANDVS CAROLVS  
DOERING,  
Tribitio — Lusatius.

ADOLPHVS FERDINANDVS WEBER,  
Lipsiensis.

CAROLVS AVGVSTVS LEBERECHT  
STEINMÜLLER,  
Arnoldsgruna — Variscus.

ERNESTVS LDOVICVS IVNCKELMANN,  
Leimbacensis.

IOHANNES GODOFREDVS SCHWABE,  
Oelsnitienensis.

IOHANNES AVGVSTVS FLECK,  
Großzschochero — Misnicus.

PHILIPPVS FRIDERICVS TIMOTHEVS  
ENDERS,  
Lipfienensis.

CAROLVS FRIDERIC. SCHWARTZEN-  
BERG,  
Großspötzschavienensis.

Duo vero sequentes:

CAROLVS AVGVSTVS IACOB,  
Lipfienensis.

et

IOHANNES GODOFRED. STALLBAVM,  
Zaafchio — Misnicus.

scholam Thomanam ita relicturi sunt, vt pro corpo-  
ris animique pabulo, Dei immortalis providentia et

Se  
igitur,  
olefcent  
ludi ne  
scholaft  
aut exp  
tum di  
caperen  
stram lu  
solum,  
imitatio  
ponere.

© The Tiffen Company, 2007

**TIFFEN® Gray Scale**

<b>R</b>	<b>G</b>	<b>B</b>	<b>W</b>	<b>K</b>	<b>C</b>	<b>Y</b>	<b>M</b>
A 1	2	3	4	5	6	M 8	9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

ostulat. Accipe  
loco eorum ad  
ibus magistrorum  
raeterlapso anno  
quam transfugas,  
citus supplemen  
tum experimenta  
Academiam no  
non degustarent  
seque ad eorum  
is, studiose com  
it:

G T,

G V N T H E R ,

S C A R O L V S

3.

V S W E B E R ,

senatus amplissimi benignitate largiter accepto, sua  
voluntate publicas agant gratias. Quorum adole-  
scens oratiunculas, a primo latinis, a secundo  
graeccis verbis elaboratas, ut MAGNIFICI ET ILLVSTRES  
VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, omnesque rei  
nostrae EXCELLENTISSIMI FAVTORES, si commodum  
erit, frequentes audire velint, nos quidem verecunde  
etiam atque etiam rogamus.